

COMPENDIUM
GEOGRAPHIÆ
HENRICI ALTING.

CAPUT I.

Geographia est descriptio Mundi inferioris, qui globo terrestri continetur. Differt à Cosmographia, quæ totius universi: à Chorographia item, quæ unius alicujus Provinciæ: & denique à Topographia, quæ certi loci delineationem exhibet.

Globus terrestris duobus constat elementis inter se junctis, Terrâ & Aquâ: & bifariam spectatur, absolute & comparatè.

Absolute & in se tum Quantitatis suæ, tum etiam figuræ respectu.

Quantitas globi terrestris ex dimensionibus ejus cognoscitur, ut sunt Peripheria, Diameter & superficies convexa.

Peripheria, ambitum, seu circumferentiam globi terrestris maximam ostendit, quæ est 5400. milliarum Germanicorum.

Diameter profunditatem ejus indicat ab uno superficiæ extremo ad alterum, & est milliarium Germanicorum 1718 $\frac{2}{11}$ vulgò Axis vocatur, quia circa eam Globus volvitur. Extrema ejus Poli, medium centrum: &